Hermaphroditorum officia. XVII

Duties of the Hermaphrodites

FREQVENTES iſtic ſunt Hermaphroditi utriuſque naturæ participes, ipſis etiam Indis exoſi; eorum tamen opera, quòd robuſti & validi ſint, ad onera ſerenda utuntur jumentorum loco. Proficiſcentibus ergo ad bella Regibus, hermaphroditi añonam ferunt: & defunctis ex vulnere vel morbo Indis, illi ipſi binis longurijs ſatis firmis, baculos transverſos imponere, atque his ſtoriam è tenuibus ſcirpis contextam alligare ſolent, cui defunctum ſuperimponunt, pelle capiti ſubſtrata, altera ſupra ventrem alligata, tertia ſupra coxam, poſtrema ſupra crus (quare id faciant non ſum ſciſcitatus, magnificentiæ tamen cauſa fieri arbitror; quandoquidem ſingulos non ita exornant, ſed crus dumtaxat obligare ſolent) deinde coriacea cingula tres aut quatuor digitos lata ſumunt; quorum extremis ad longurios aptatis media capiti, quod illis prædurum eſt, applicant; atque ſic defunctos geſtant ad ſepulturæ locum. Contagioſo aliquo morbo affecti, etiam ab hermaphroditis humeris ad loca deſtinata feruntur, atque ab ijſdem curantur & neceſſaria accipiunt, donec ſanitati plene reſtituantur.